

I. N. J.

27

DISSE^RATI^O ACADEMICA
DE
NUMMIS
ARABICIS
IN
PATRIA REPERTIS,

Cujus PARTEM PRIOREM
Consensu Amplissimae Facult. Philosoph. in Regie
Acad. Aboënsi

PRÆSIDE,
VIRO AMPLISSIMO ATQUE CELEBERRIMO
**D^{N.}. CAROLO ABRAH.
CLEWBERG,**

Græc. & O. O. L. PROFESS. Reg. & Ord.

Publice examinandam sifit
MARTINUS LUNDBECK,

Tavastensis.

Die xxv. Junii Anno MDCCCLV, H. A. M. C.

ABOÆ, impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland, JACOB MERCKELL,

SÆ RÆ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,

Reverendissimo

PATRI ac DOMINO,

D_N. JOHANNI
NYLANDRO,

S. S. Theologiæ DOCTORI
consummatissimo,

Dioeceseos Borgoensis EPISCOPO
eminentissimo,

Venerandi Consistorii PRÆSIDI
gravissimo,

Gymnasii Scholarumque per Dioecesin EPHORO
adcuratissimo,

MÆCENATI MAXIMO.

Nemo nostrum est, qui in Te Mæcenas Maxime tantum celebrationum
& laudum numerum non inveniat; ut iis vel recensendis se maxime
imparem retro fateri cogatur. Occurrunt quippe eximia animi dona, que
Ipsie eruditio, maxima reddidisti. Mentem subeunt venerabundam
summa tanti Præfusis in Patriam, in Ecclesiam, in rem litterariam merita, &
adiuvent virtutes plane singulares, quarum in numero rara erga omnes gratia
caput

caput extollit. Ob hæc quum patria Tibi summas decernat laudes, deferat Ecclesia plurimas, litteræ patronum sibi gratulentur, omnesque earum cultores, in signo Tuo quasi inclusos habeas; non mirum erit si illis, quibus tam alte animo ascendere non darum est, magnitudinem meritorum Tuorum dum cloqui conantur, vix limina eoruadem attinagere sibi concessum perspiciant. Nec egredi qui tacita veneratione, ea semper amplexus sumi, aliud quam venerabundam mentem Tibi hac vice polliceri sustineo. Injungit mihi animum devotionis plenissimum ingens cumulus beneficiorum, quibus me dum apud Musas Borgoëns litteris vacarem, ornare non fuisse designatus. Quorum cum frequencissime dalecis succurrat memoria; tamen quia quod responsum, non habeo, anxius mihi sepius haeret anitus. Suscipe Reverendissime Episcopi, gratiolæ, eam quæ jam ad aras Tuas submissæ prorecepit, oppellam. Patriaris eam incomitam licet, & ex nomine Tuo splendoris mutuantem venerabundæ gratissimæque mentis qualicunque agere interpretem. Tua vero mea gratia, ut huc usque, ita & in posterum, beare digneris. Ego vicissim, quod solum mihi est relatum, vota ad cœlum fundere calidissima nunquam intermittam, dignerut bonorum omnium Auctor & statutor Te Reverendiss. Praeful, omni felicitatis genere cumulatissimum in seram usque senectam rei publicæ, gregi Christi, qui sub Tuo moderamine feliciter agit litteris Tuis omnibus, tandemque clientibus salvum lospitemque præstare. Hos inter & mihi vel ultimum concedas locum, humillimus oro atque obtestor, ad urnam ~~permanens~~ permanensurus

Reverendissimi NOMINIS TUI

eulor devotissimus

MARTINUS LUNDBECK.

Admodum Reverendo & Preclarissimo

**D_{N.} M A R T I N O
M A R T I N I O,**

Ecclesiarum, quæ Deo in Hauho Tuleis & Luopiois
colliguntur, PASTORI vigilantissimo, districtus
adjacentis PRÆPOSITO adeturatissimo

Avunculus

Dum *animus* vita peractæ revocat seriem, inter alios,
locum imprimis deberi, humillimus agnosco. Quoties
unt argumenta, quibus lætabundus fortè meam de-
Hæc cum sit arctissima, beneficiorum tamen Vestrorum cumu-
nitis, ut Patre destitutus, in Vobis eundem venerari semper mi-
a Vobis dulicissima facta, tantum inde valuerunt ut plane nesci-
favor commodi & solatii attulerit. Vobis, igitur, quos Paren-
tum primitiæ. Nummos offero non pretio, nec alia præroga-
Sint Vobis in tesseram animi gratissimi, pro tot in me colla-
vio: ita eadem qua antea, in posterum etiam me benevolen-
dem unice virium est, DEum ego pro *Vestra* in Nestoreos an-
quam desistam, Permansurus

Nominum

cultor hu-

MARTIN.

3;æ C;x Muscovitarum M:is
MAGNÆ FIDEI VIRO,
Nobilissimo & Consultissimo
D_{N.} M A T H I A E
M A R T I N I O,
Judici Provinciali Æquissimo

Optimis

quibus post DEum meam debeo fortunam, Vobis Avunculi mei, enim Vestrum incurrit cogitatio, innumera fere mentem subepredicem, quod maternus sanguis nos cognitione conjunxerit. lo adhuc arctiorem eandem fecistis. Ita enim Vos illa exhibuihi liceret. Fuissent quidem tristissima devoranda fata, sed quæ am plus ne doloris immaturus Patris obitus, an Avunculorum tis loco Veneror, hæ jure consecrandæ sunt studiorum meotiva; sed solummodo offerentis pietate commendabiles. tis beneficiis, quorum memoriam ut nulla unquam delebit oblitia amplecti dignemini, summopere rogo. Quod mearum canos duratura felicitate calidissimis venerari suspirius nun-

Vestrorum

millimus.

LUNDBECK.

Admodum Reverendo atque Praclarissimo
**DN. MAG. PETRO
BONSDORFF,**

S. S. Theol. LECTORI in Reg. Gymnas Borgoënsi dignissimo,
Consistorii Eccles. ADSESSORI aquissimo

Praclarissimo VIRO
**DN. MAG. JOHANNI
BORGSTRÖM,**

Log. & Mathef. LECTORI in Reg. Gymnas Borgoënsi lauda-
tissimo, Vener. Consist. ibidem ADSESSORI meritissimo

Patronis & Fautoribus optimis

Benevolentia Vestre, Patroni & Promotores Optimi, qua mihi meisque stu-
diis favere nunquam suistis deginati, tot illustria mentem subeunt do-
cumenta, ut & audeam praesenti opellæ liberum ad Vestra limina poller-
e et accessum. Vobis enim ut semina eruditionis fecundissima, ita studiorum
haec qualesunque debentur primitiae. Orientis Gazas resero, non pretio, sed fo-
la offerentis pietate commendabiles, Vobisque proinde, ut auguror quibusvis
Arabæ thelauris cariores. Dignemini solita benevolentia accipere hosce stu-
diorum meorum fructus, qui si minus exspectationi Vestre respondeant, igno-
scatis facile tardiori ingenio, cui ardens proficiendi desiderium nunquam de-
fuit. Sit mihi apud Vos, chartaceum munusculum, animi gratissimi pro tot col-
latis beneficiis, cum meliora desint, licet balbutiens, attamen fidelis interpres.
Ut vero in posterum, quemadmodum hucusque, meas fortunas Vobis habe-
atis commendatas, quod maiorem in modum expeto; pro Vestra incolumitate
& flore perenni suspiris ardentissimis supremum Numen ego, dum vixeto, in-
terpellare non desistam, futurus ad rogam

Nominum Vestrorum

humillimus cultor
MARTINUS LUNDBECK.

Befallnings-Mannen,
Adel och Högachtadt/
**Herr FRIEDRICH
LÖFMAN,**
Min Gunstige Gynnare!

NE 3, Min Herre, förrwärft Eder den fulkomlighet, som förmår giöra Eder lefnad fäll, och allmenheten et omistelig lem, är nogaamt dem bekant som runnit Min Herres Wånskop. Dem är det ej sälssamt som haft tilfalle at see de lysande gäfvor naturen hos Min Herre nedlagt. Iblant hvilka är i sanning ej den ringaste, at I med gynnande ögon anseen Lårdom och Wett, och hysem ömma tanckar om deras ålskare. Jag som ej kan tilägna mig detta namnet, har likväl åtniutit de wälgiärningar som en merå förtjent bort åmnas. Men de hafta warit så stora, at jag med fog kan räckna Herr Befallnings-Man ibland mina bästa Gynnare. Anse då ej obetänkt at jag vågat uppsöra Eder dessa blad, hvilka ehuru de intet förmå utolcka häremot någon wedergåning; likväl skola uttra den erkänsla, hvarmed et wördsamt sime under anönskan til albegärlig fälhet, skall framhärrda

Adel och Högachtadt Herr Befallningsmans

ödmjuk tjenare,
MARTIN LUNDBECK.

Frogd ebefnyg

Utradt

Til

SEX


A U C T O R E N,

Sin Vän och Landsman:

År 3, min Herre nu, Ert snille-prof utgisven
Som utaf wittert wett til Eder heder lys,
Utaf godt Hierta jag, at önska lycka drifiven,
Den wånskap uppar nogd, jag ståds för Eder hys,
Er dygd är allmänt kånd, Er flit Ert snille prisas;
I om Arabisst Mynt nu wittra tanckar gien,
Och at i Svea Land det warit gångbart wises,
Når syne-strålen Er, i åldrens gömmor ser.
Jag har ej lämplig ord, ej rum, ej tid, ej fiäder,
Att skildra af Er hug för lärdom dygd och wett,
Er vålgång hiertlig mig i alla tider gläder
Jag af Er wånsaps-tro, nog många prof har sedt,
Den gröna Lagren hon Er hiessa suarlig kröne
Med fällhet, trefnud, nåd, och frogd i ymniogt mått,
Er flit hon skaffe gagn, förtienst sen lyckan löne:
Er wändel stride lätt, tils ewig frogd 3 nådt.

M

CHRIST. HERKEPÆUS.



§. I.



Ui linguæ Arabicæ divitias ex-
haurire studeret, vix ac ne vix
quidem perspiceret, unde exor-
fus esset & ubi finem poneret.
Illi⁹ enim in varias disciplinas
merita tanta jam dudum præ-
dicarunt viri erudit⁹, ut eam
scientiarum fœcundissimam ma-
trem suo quodam jure appellaveris. Dum ex pro-
cellis jactabantur Græcanis litteræ, ad tutissimum
hujus refugiebant portum, quæ illas benigne suscep-
pit, civitate donavit, pristinam dignitatem non mo-
do restituit, sed etiam amplificavit. Quamobrem
non sine ratione Cel. Pocockius, in oratione præfixa
carmini Tograi, applaudit nobis hoc modo; Linguæ
Arabicæ beneficio factum, ut non penitus perie-
rint bona litteræ, quam prope abeit, ut dicam? „
Vix ante seculum est, cum nullum e Græcorum „
Philosophis, Mathematicis, Medicis nisi ex Arabico „

A ver-

„ versum, legerent nostri. Sed ingrati simus, si ali-
 „ quem isti linguae non deferamus honorem, cui
 „ aliquando tantum debuimus. Nec defunt qui,
 „ si Arabum excuterentur scrienia, adhuc etiam plu-
 „ rimis, quae ex præstantissimorum Græciæ operi-
 „ ribus desideramus, παλιγγενεσίαν polliceri audeant. *
 Sub felici etenim Abbasidarum imperio, mirum
 quanto zelo Principes hi libros a Græcis scri-
 ptos conquisiverint, conquisitos dein eruere jufse-
 rint, erutos fideliter transferre, & ad usum
 multiplicem accommodare. Qui hac de re certiora
 nosse desiderat, evolvat Abulfaragium, (a) ardo-
 rem Almamunis Harunis Alraschidi filii his depræ-
 dicantem verbis; scientiam locis suis querere ag-
 gressus, cum Græcorum regibus intercedens, petiit
 ab illis, ut, qui apud eos essent, libros philosophi-
 cos ad ipsum mitterent; qui cum ad ipsum, quos
 haberent, misserent, conquisitis ille interpretibus
 peritis, eos ipse accurate vertendos curavit ib.
 „ (b). Non inficias imus, recentiorum industriad
 scripta horum, maxima ex parte in linguam
 nobis notissimam, transtulisse, sed quis ignorat,
 quantis nævis & mendis hæc opera ab ipsorum
 prodierint manibus? Quisnam vero de incuria hac
 rite judicabit, nisi qui fontes Arabicos consulere
 didicerit? Non minimum catalogum locorum in
 scriptis Arabum, quæ mendosa admodum &
 distorta exhibent versiones, recenset Cel. Ol. Celsius

(a) P. 246. (b) Cf. Ol. Celsii Diff. de L. & eruditio-
 ne Arabum. * Cf. Pocock, l.c. ubi plura.

sius (c); Cujus rei causam præcipuam si imperitiæ translatorum tribuamus; non a vero aberrabimus. Quodsi itaque, ut vidimus, multa ad scientias spectantia, quæ hodie in campo disciplinarum occurunt, e scriniis Arabum in præsentem prolata sint lucem, & adhuc forsan ex parte in illis tenebris quasi sepulta jaceant; quis lubenter non concedat, post hac quoque magnos bonorum cumulos ex cultura linguæ hujus in rem literariam redundatuos? Sed hujus argumenti quantacunque fuerit dignitas, id tamen quo minus ulterius persequamur; obstat cum ejus ubertas, tum industria illorum, qui usum L. Arabicæ decantarunt: tum etiam ratio instituti, quod ad alia mox properare jubet. Enim vero vel hoc ipso L. Arabicæ merita in aprico collocatumiri speramus. Est quippe animus, hac opella nummos quosdam Arabicos in variis locis regni, diversisque temporibus e terra effosso, pro modulo ingenii, rudi licet penicillo, delineare, & si fieri queat, quid inde lucis historiæ cum orientis, Ecclesiasticæ vel Politicæ vel litterariæ, tum patriæ, quin & Chronologiæ aut Geographiæ accedat, experiri. Quocirca eorum favorem & benevolentiam prædicare convenit, qui nummorum copiam mihi concedere haud fuerunt dediti. E collectione copiosissima, in Archivo antiquitatum Regni asservata, vetustissimum illum nummum, quem tabulæ pars superior exhibet, æri incidendum perbenigne transmisit, Secretarius Regius, Nobiliss. Dom. Berch,

Reliquos querquam benebole mecum communicavit, e cimeliis hujus academiæ Bibliothecæ Aboensis Praefectus Dom. Alg. A. Scarin, Historiarum & Phil. Civilis Professor Celeberrimus, rogatu Dom. Praesidis, quem ut ducem in hisce studiis, ita & praesentis conaminis promotorem gratus agnosco. Tibi vero, L. B. innoxia tentamina, circa arduam hancce materiam meliorem in modum commendata volumus, simul rogantes, quicquid perspicaci tuo ingenio minus respondeat, in meliorem nihilo fecius interpretari partem digneris.

§. II.

Commerciis, quæ diutius permutatione rerum amica feliciter exerceri & commode non potuerunt, homines permoti, de mensura universali cogitare coeperunt, ad cujus internum valorem res in emtionem & venditionem venientes exigi possent. Adoptata est in hunc usum materia aurea & argentea, præ ceteris, ceu præstantissima, quæ sive ad exterios delata, sive in civitate remanens, pretium suum semper retineret. Apud Arabicam Gentem ab antiquissimo jam ævo, cum ceteris commerciorum exercitio illustrem, hujusmodi sive argenteam sive auream invaluisse mensuram, toties divitiarum hujus gentis, tam in Scriptura Sacra, quam apud alios scriptores, injecta mentio, veri simile reddit. Intelligimus vero, hoc loco, rudem & informem materiæ figuram, de cujus valore trutina solum,

lum, non externa cœlatura mortalibus constabat. Qualis vero fuerit prima veteris monetæ species, quoque primum ævo illa cudi cœperit, ardua est quæstio, quam tamen, ut a scopo nostro alienam, nos jam missam facimus. Hoc saltem probabile arbitramur, nummos sive usuales, sive memoriales, imagines & simulacra Deorum, aut aliqua saltem religionis capita exhibuisse. Mos enim fuit mortaliū perantiquus, hac ratione cultum Deorum interpretari. Quanto magis id de Arabibus valebit, quorum regio velut receptaculum erat, unde dimanavit, quicquid circa religionem usu apud ceteros orientales veniebat. De Sabæis, utpote firmamento solari divinos tribuentibus honores, notum est, illos Tilsemas in nummis suis adhibuisse. Quam rem doctissimus Scaliger in Epistolis suis his inculcat verbis. „Scito non solum Muhammedanos „ sed & Indos idololatras nummos signare, aut gem- „ mas sculpere ad horoscopum easque imagines „ Φυλακῆιων & amuletorum loco habere. v. gr. ad- „ versus iætus scorpiorum, numulos, horoscopante „ scorpone, cum imagine scorponis signant, ut „ est apud veterem Geographum. „ Vid. Hotting. Hist. Orient (a). Intelligunt per Tilsemas ejusmodi ima- gines, quæ secundum observationes constellatio- num factæ sunt, qua de re vid. Maimonidem, qui inter alia imagines istas adorare magnique face- re ait populos orientis (b). Sed vetustissimorum Ara- biæ nummorum nulli ætatem tulerunt. Saltem,

A 3

quan-

(a) P. 289. (b) Cf. ejus Moreh Nevochim, p. 3.c.29, it. p. 1, c. 63.

quantum quidem mihi constat, nemo ex sagacissimis ruspatoribus antiquitatum orientis, Muhammede antiquiorem ostendere nummum unquam hactenus potuit. Argenteas Derahim i. e. Drachmas Arabicas, primus cuendas curavit Hegiagius, si fides Herbelotio habenda, qui id ex Arabibus, auctore non nominato, refert. Ce fut Hegiage, inquit, Gouverneur de l' Iraque Arabique, qui fit battre le premier des Derahims d' Argent, avec l' inscription *Allah Sāmad*, Dieu est immuable, Bibl. Orient. p. 298. a. & p. 297. a. Les Musulmans n' eurent point de dinars d' or, marqués à leur coin, jusques en l' an 76 de l' hegire, de J. C. 695. Ce fut Hegiage, lequel établit la première monnoye sous le Khaliphat d' Abdalmalek. Auparavant toute la monnoye d' or étoit au coin des Empereurs Grecs, & celle d' argent avoit son inscription en caractères Persiens. Georgii Elmacini videtur Herbelotus nisi testimonio, qui in historia Saracenica hæc habet; Eodem anno i. e. a. 76 „, Heg. signati sunt aurei & stateres „ Arabice ; habuerunt enim ante inscriptionem lin- „ gua Romana, & stateres quoque Persica : fecitque „ sibi Hegiagius officinam monetariam & stateri „ impressit DEUS EST DOMINUS: „ sed materia „ eorum non erat bona: at emendavit eam deinde „ cum Iracæ præfectus esset, Omar fil. Habiræ : & „ post hunc Chalid Carsjæus: hinc Josephus f. Oma- „ ris: postea emendavit eam tempore suo Haron Rasci- „ dus & Mamon filius ejus, nec non Wacicus. Erat „ autem pondus staterum tempore Carsjæi, triplex: „ unius

unius speciei decem stateres pendebant drachmas „
 10: alterius 5, & tertiae 6. Percussi quoque in im- „
 perio Muslimico sunt stateres, quorum decem pon- „
 derarunt drachmas 7. Lib. I cap. 12. p. m. 64 & „
 65. Quæ cum sit prima nummorum Arabicorum
 æra, non mirum e tanto eorum cumulo, qui in num-
 mophylaciis Sveciæ asservantur, omnium anti-
 quissimum & mox describendum a. Heg 79 esse cu-
 sum. Nec obstat moneta Arabica, Relando memo-
 rata, &, ex ejus opinione, ad annum Heg. 54. re-
 ferenda. Hæc enim Græca inscriptione ab una
 parte instructa, ab altera vero Arabicam exhibens,
 non Mohammedanis, sed Christianis debetur, quippe
 quam in memoriam insignis victoriae de infidelis-
 bus reportatæ, cudi fecit Constantinus Pogonatus.
 Confer Relandi Differt. de Marmoribus Arabicis
 Puteolanis & nummo Arabico Const. Pogonati.

§. III.

Nummorum quos heic B. L. exhibere constitui-
 mus, inscriptio[n]es, uti Lingua Arâb[um] pura, ita
 & litteris Arabicis exaratae reperiuntur. Litteris pu-
 ta illis vetustioribus, quas Cuficas appellare solent
 Arabes, & antiquissimis temporibus usurpatas tra-
 dunt. „ Les plus anciens characteres, ait d' Her- „
 belot, que les Arabes ay- ent connus, portent le nom
 de Coufites. Il est rapporté, dans l' histoire de Ta-
 merlan par Ben Arab Schah, que lorsque l' on fouil-
 la dans les ruines de la vieille ville de Samarcان-
 de,

de, on y trouva des drachmes & autres monnoyes d'argent marquées de characteres Coufiques (a). Hujus autem Scripturæ Kuficæ nomen repetere non dubitamus ab urbe Kufa, sita in Eraca Arabica i. e. Chaldæa, veteribus Babylonia dicta, eademque a miscellis Arabibus an. heg 17. Chr. 639 exstructa, ad brachium Euphratis sub 31.° 50 m. latitudinis; longitudinis autem 69.° Quatuor dierum itinere, vel ut aliis placet, quinque mansionum intervallo, Kufa disjungitur ab urbe Bagdad, seu nova Babyloniam, Khalifarum sede primaria, & celebratur plurimum ob martyrium Alis ejusque sepulcrum, non uno præterea nomine clara. Musarum enim orientalium hæc alma sedes, innumeros fere progenuit eruditos. Quos inter & plurimos calligraphiæ peritissimos exstitisse minime dubitandum. Hæc enim ars Arabibus, Persis, Turcis, Tataris, aliisque populis orientis pro parte non infima eruditionis habetur. Unde quo quis elegantius litteras pingere novit, eo potiorem inter litteratos vindicare censetur locum. Quemadmodum itaque constat maximam partem eorum, qui apud orientales litteris operantur, victum & sumtus ad studia aliasque necessitates, calligraphiæ ope parare, in primis illo tempore id fecisse, quo nondum ars typographica fuit introducta; ita & Kufæ magnum fuisse calligraphorum numerum notissimum est. Quin & hodienum ea de re testantur exempla Corani varia, Kufica dicta, quod Kufæ fuerint litteris eleganter exarata, quæque in magno apud Moham̄edanos habentur pretio.

(a) Biblioth. Orient. p. 278. c. a.

tio. Et quia in hac urbe, cum alia studia floruerent, tum etiam ars litteras ornatissime pingendi exculta fuit; in primis inde character ibi potissimum expolitus Kuficus appellari coepit, haud secus ac apud nos *Scriptura Gallica*, *Scriptura Curialis*, *Munck Stil*, & alia scribendi genera frequentari novimus. Nec mirum, scripturam Arabum antiquam a Kufa fuisse nuncupatam; cum illa in oriente tantopere claruerit, ut & ipse Euphrates, fluvius per orientem maxime inclitus, non alio nomine, quam *Nabar Kufah* i.e. fluvius Kufæ, nuncupari Arabibus soleat.

§. IV.

Hoc tamen minime sic intelligendum volumus, ac si cum Kufa demum apud Arabes ortam esse statueremus artem scribendi. Diu namque ante exstructam hanc urbem utilissimum illud artificium inter Arabes extitisse, quis dubitet? Jobi ætate, in ea gente, non modo communem scribendi usum, sed & peculiarem illum, lapideis nimirum magisque duraturis monumentis litteras incidendi, receptum fuisse, comonstrant ejus verba C. XIX. 23. Veteribus Hamyarensium tribubus fuisse perplexum quoddam & confusum characterum genus *Almos-nad*, a mutua litterarum cultura dictum, testis est Ebn Khalican. Id vero ab antiquis usque temporibus obtinuisse, monumenta sepulchralia, ab al Firuzabadio & Al-Jannabio laudata, apud Pocockium in notis ad AbilFaragji Specimen hist. Arabum (a), evincunt; quamvis non cuivis eodem

scribendi genere utendi, idemque discendi concedetur facultas. Hamyrensum etiam scripturam a communiore Arabicā distinguunt *supra laudatus Ebn Khalican*, nec non Georgius Ebn Amid, dum nimirum memorant calamum Hamyrensem & calamum Arabicum, a se invicem distinctos. Arabum vero reliquos, præfertim Meccenses, per secula multa, Judæis & Christianis exceptis, quos *Populum libri* vocare sverunt, artis scribendi imperitos fuisse plerumque negari haud quaquam potest. Hujus ignorantiaæ triste Tharapha præbuit exemplum, litteris commendatitiis quas ipse, licet eruditus, legere non poterat mortem sibi accelerans. * Tandem Moramer Ebn Morræ, Anbari oppido Iracensi natus, inventis litterarum notis, populares suos scripturam primus (*b*) edocuit. Ab his vero, non multis ante Mohammedismi ortum annis, nobilissimum hoc inventum, Bashari cujusdam Kendifensis ope, postea manasse traditur. In cuius beneficii memoriam, Arabes litterarum elementa, ab eo reperta, *al Moramer* i.e. *populum vel progeniem Morameri*, solent appellare. A veteribus illis Hamyrensum, etsi non parum diversæ fuerint e manu Morameri prodeentes Arabicarum litterarum figuræ; ductus tamen haud melioris fuisse putantur; quam crassæ illæ & inconcinnæ litteræ Kuficæ, in nummis nostris expressæ. Arctis præterea limitibus diu conclusum mansisse nobile hoc Morameri

(a) P. m. 155. * Cf. Reiskium in Prol. ad Tharaphæ Moallakat, p. m. 54.

inventum vel ex eo patet, quod refert Ebn Khalican, scilicet, cum jam evulgari cœpisset Alcoranus, non repertum fuisse in universa regione Jaman, qui Arabice legendi & scribendi peritus esset. Unde & ipsum Mohammedem utriusque litteraturæ partis ignarum fuisse, eamque ob causam *Nebyjen Ommyen* i. e. Prophetam illiteratum, audisse constat. Morameri imperfecta, aspera visuque horrenda litterarum Arabicarum elementa, celeberrimus scribendi artifex Ebn Moklah deinceps ita expolivit, ut elegantissimæ illius scripturæ, qua hodie utuntur Arabes, inventor jure nominetur. Floruit is ab anno 326, & Vizirus fuit sub Moktadero, Kahero & Radio, Khalifis Bagdadensisbus. Testem adducere liceat insignem Arabum historicum Ebn Schonah, cuius ad An. Heg. 326. hæc sunt verba. „Hic Ebn Mo- „
 klah invenit illum pulcherrimum exarandi mo- „
 dum adeo celebrem. Nam primus mutavit an- „
 tiquam scripturam *Kufiam* & pro ea substituit „
 alteram longe pulchriorem, & Arabicam κατ' εξοχήν „
 dictam. Quanta vero ejus fuerit in arte pulcre litteras exarandi celebritas, vel ex hoc Arabum epigrammate ad oculum patere crediderim. Id ipsum cum ob defectum characterum Arabicorum, exprimere Arabice non liceat, hunc in modum latine redditum Benevolo Lectori sistimus.

*Eloquentia Hassani, & Scriptura Ebn. Mokla,
 Et vox Davidis, & castitas Mariæ.*

*Si conjuncta reperiantur in homine eoque homine paupere:
 Iste, si præco eum venalem edicat, non vendetur drachma.*

Post hunc, eodem historico teste, Arabum καλ-

Anypaphian auxit, inque ea perficienda summas obtinuit *Ebn Bowab*, quem sub Kadero Bagdadi & Dhahero Ægypti Khalifis vixisse & circa an. Heg. 413 vel 423 obiitile ferunt. Cui licet Ebn Schunah tantum tribuat; nos quidem, pace laudatissimi historici, eum tamen Arabicæ calligraphiaæ ultimam imposuisse manum, afferere neutiquam possumus; sed potiori jure hanc gloriam sibi vindicare videtur Jakut al Moftasemi, qui sub Almostasemo, ultimo abbasidarum Khalifa, floruit, & cujus ope, circa annum Heg. 640, eum elegantiaæ apicem attigerunt litterarum Arabicarum figuræ, quem in pulcherrimis quibusque codicibus hodienum obtinent.

§. V.

FAtis Scripturæ Arabum perlustratis, ad eam ejus speciem, quæ in nummis nostris habetur examinandam regredimur. Nummorum inspectio diligentior litteras, quæ primo intuitu viderentur plurimum distare ab hodiernis, agnoscere facile docebit. Ductus quidem crassiores, & modo manum artificis rudiorem arguentes, in recentioribus nimirum nummis, Sec. ab Heg. tertio vergente, plerumque cufis, characterem minime reddunt diversum. Figuræ tamen litterarum, si cum hodiernis conferantur, habent aliquid peculiare. Sic namque longiusculæ, cum ab initio tum a fine vocum, usurpatæ hodienum, in nummis breviores, cauda atque longiori circuitu destitutæ & in ipsa linea nonnunquam terminatæ conspiciuntur. Id littera Be cum affinibus, Re, Nun finale, Kef aliæque probant. Contra litteræ, jam nunquam dilatabi-

tabiles, ut e. gr. Dal, in primis ubi vacuum linea^e spatium, in nummo eadem voce implendum, hoc exigere videtur; insigniter dilatantur, quod in nomine Pleudoprophetæ Mohammedis potissimum observare licet. Porro littera Ain, in medio connexilis, figura simili V Latinorum exprimitur, cui in fine vocum infra Lineam pars infima producitur, Littera Hha refert in nummis eandem figuram, in lineam tamen a dextra ad sinistram pronam, hunc in modum .

Quod vero lecturis maximam creare solet difficultatem, est omissio punctorum diacriticorum, quae fit, ut nonnisi tentando sensum eruere s^æpissime liceat, ob litterarum his notis destitutarum, similitudinem. Ipsiis proinde Philologis, L. L. orientalium peritis simis, hac de caussa, in nummorum explicatione aquam hæsisse, nemini mirum videbitur; cum & ipse fateatur ingenue Relandus, in dissertatione de marmoribus Puteolanis, & nummo Arabico Constantini Pogonati, ob defectum punctorum diacriticorum, pro quorum varietate unus character sex septemve litteras denotare valet, se existimasse, aut nullum, aut incertum, inde censum elici posse. Antiquæ scripturæ Kuficæ specimen æneis tabulis insculptum, exhibet Chardinus in itinerarii Persici. Tom. II. p. m. 168.

Kuficæ non multum dissimilis est Scriptura Nabathæorum, cuius specimen æri nitidissime insculptum apud Thomam Hyde, in libro de religione vett. Pers. videre licet. Nec multum qua littera-

rum ductus, abludit Arabum veterum scribendi genus, *Karmathicum* dictum, cuius, præter Herbelotum mentionem facit Kehrius, in tractatu de XVIII. nummis Arabicis §. XI.

§. VI.

Tandem & hoc circa scripturam ipsam Arabicam observari meretur, annos quos nummi exhibent, litteris & vocibus integris exprimi, non vero Zifris. Celebrem novimus esse item inter eruditos, cuinam genti primum ortum debeant vulgares numerorum notæ. Arabum esse inventum, contendit in antiquitatibus Academicis, Hermannus Conringius. Scaligero, in explicatione nummi Constantini Pogonati eadem fuit sententia, ut & Joh. Seldeno de J. N. & G. (L. III. c. 18.). Mittimus ceteros, qui vel antiquis Scythis, vel Romanis, vel Græcis referunt acceptas. Ab Indis ad Arabes, ab his ad Europæos fuisse transmissas, omnium verissimilla videtur sententia. Indis adscribunt ipsi Arabes, qui hanc computandi rationem *Errakimel Hindi* i. e. scripturam Indicam adpellant, (1) & quorum linguæ ipsa vox *Siphra*, quæ pure arabica est, ortum debet. Hinc & Ali Kosgius, illustris Persarum Astronomus, sapientes Indiae fatetur hos numeros invenisse, indeque idem auctor

(1) Gol. not. ad Alferg p. 2.

alibi *Indorum Arithmetica*m adpellat, quam Maximus Planudes, zifrarum apud Græcos primus Magister, *calculatoriam secundum Indos inscripsit*. (2) Quo vero tempore in Europam migraverint, res est admodum incerta. Annis abhinc CCC id factum existimat Scaliger, quingentis Seldenus, Vossius circiter CCCL (3) Seculo XIV vergente alii, alii circa finem Secul. XI. tempore nimirum belli Sacri. Si yero Edvardo Bernardo credendum Indi Zifras a. Dom. 710. a Græcis litteris defumserunt, iidemque Persis & Arabibus a. Chr. 800. hi rursus a. D. 1000 tradiderunt easdem Hispanis. Sed tardius aliquanto ad Arabes ac censet Bernardus pervenisse, videntur evincere nummi nostri Arabici, quorum plures centurias asservat Reg. Archivum antiquitatum Sveciæ. Cum enim in iis, qui ab anno Heg 79 ad init. Secul. IV. post Mohammedem progrediuntur, non conspiciantur ziphrae, compendii causa in nummis ceteroquin adhibenda; veri admodum est simile, eorum usum Arabibus nondum fuisse familiarem. Sic & eam sententiam firmare videtur nummus Arabicus Africanus, cusus in arce Segelmessæ, anno Hegiræ trecentesimo quarto, quem e Gaza nummaria Bodleiana a Cel. Franc. Wise ejusdem custode, secum communicatum, ærique incisum exhibuit & interpretatus est Gagnierius, in notis ad novam editionem operis Abilfedæ Geographici. p. m. 65. Contra in recentioribus nummis Arabicis, Turcicis, Persicis

(2) Cf. Joh. Gravium in notis ad an. Persam de Sylgis Pers. & Syrorum Astronomicis, (3) De scient. Mathem. cap. VIII. §. 5.

cisis, annum Hegiræ notis numerorum vulgaribus exprimi, notissimum, quod & patet ex nummo Persico anno Heg. 1133 Christ. 1721 euso, cuius videnti copiam mihi fecit Dn. Præses. Porro, cum Saraceni dudum seculo octavo, longe ante tempora Caroli Magni, victores per Africam & Hispaniam sint grassati, quis credat tam sero ad Europæos hoc inventum fuisse translatum, si anno 800 ab Indis ad Arabes pervenisset? Antiquissima vero Zifrarum in Europa vestigia in Codicibus vetustis aut campanis expressa, ad initium Secul. XII. quantum huc usque expiscari licuit, referenda videntur.

§. VII.

Scripturæ Arabicæ cum historia, tum ejus indole, quæ in nummis habetur, pro modulo ingenii, levi penicillo adumbrata, ad ea quæ monetæ Arabicæ apud Mohammedanos ortum proprius attingunt, consideranda, nos convertimus. Vidimus supra §. 2. ante annum Hegiræ 76. monetam litteris Arabicis a Moslemis non fuisse eusam. Quod quidem non tam ex cœca quadam ignorantia, quam potius alias ob causas evenisse videtur. Quamvis enim Mohammedis affecclæ tempora ante Pseudo-prophetam, seculum stultiæ vel ignorantiae vocare soleant, id potissimum de iis, quæ religionis scita concernunt, intelligendum, persolvendum habemus. Geterum & scientiæ, & artes variæ olim Arabibus cultæ

cultæ fuerunt, quin etiam Mohammedis ævo, licet ipse litterarum rudis (a) non penitus neglectæ (b). Verum Mohammedes ipse, superstitioni suæ propagandæ præcipue intentus, Prophetæ magis dignitatem virtutesque mentiri, ut externa quadam vitæ sanctioris specie deciperet incautos, quam principum secularium fastum vel magnificentiam imitari, nitebatur. Hinc quoque simulabat divitarum contemptum, & pecunia magnam vim ex tributis & devictis hostibus redeuntem, a seculis distribui curavit, vix tantum sibi retinens, quantum familiæ alendæ in annum sufficeret, quemadmodum de eo refert Ebn Abbâs apud Gagnierium (c) item Anâs, apud Albocharium de impostore hæc habet; *D'Eus obtulit ei claves thesaurorum terræ, sed noluit eas accipere.* Huc spectant, quæ passim de Mohammedis humilitate & abstinentia tradunt, & inter eos Abulfeda, his verbis; *ipse oves suas mulgebat, bumi sedebat, Ipse consuebat calceos suos. Ipse vestem suam resarciebat, & induebatur vestimento a se consuto & consarcinato.*

Quæ si vera fuerint, nec adeo mirum, Mohammedem, in ipsis primordiis Islamismi & aliis cu-

C ris

- (a) Cf. præterea, quæ supra §. IV. observavimus. Sur. XXIX. c. 48, ubi D'Eum infert impostor, ad se verba facientem hunc in modum; *Et non legebas ante hunc illum Librum, neque exarabas illum dextra tua.* (b) Id vel Waraka exemplo constat, de quo hæc refert Abulfeda; *Wara- raka autem Nârfali filius, libros inspicerat a que legerat; & insuper multa a se statribus tam Legis quam Evan- gelii pridem audierat.* Vit. Mohammed. p. m. 6, in not. (c) In vita Mohammedis p. m. 144, in notis.

ris occupatum & eo monetæ genere tum prudenter usum, quod paratu facillimum erat & usu latissime invaluerat, per omnes illas regiones ubi nova doctrinæ vesania erat disseminanda.

§. VIII.

Hujus vero successores primi, Pseudoprophetæ vestigiis insistentes, fucum credulæ plebi faciebant. Islamismo dilatando, ad exemplum antifititis, armis utebantur, quibus sœvientibus bonas litteras exulare artesque, uti fieri plerumque solet, erat necesse. Quia vero cum Mohammedi, tum Khalifarum ipsi proximis erat perswasum, eo facilius revelationum nugas ac deliria divendi, quo densior ubique ignorantiae caligo oculos omnium teneret: hinc & contra scientias linguasque eruditas, veterumque scripta, quibus eruditio promovetur, lege, ferro, quin & igne pugnatum. Mohammed, ne ulla scientiarum humanitate animos mitigarent homines, lege cavit. Omar, qui secundus Mohammedi successit capta Alexandria, Bibliothecam in Serapeo incomparabilem, 500 ad minimum voluminum millia complexam, cujusque interitum, in hunc usque diem, deplorant Musæ, e medio tolli Amro præcepit (a). Quantum vero detrimenti scri-

ptis

(a) Cum enim Johannes Philoponus, eruditione Celeberrimus, gratia apud Amrum Ebno l' As, exercitus Saracenicu ducem, plurimum valeret; Bibliothecam Alexandrinam sibi aliisque studiis operam navantibus relinqui intactam, enixe contendit. Amrus, eti petitioni Jo-

ptis veterum attulere linguisque aliis , tantum linguam Arabicam amplificarunt Khalifæ, ut sic ad lectiōnem Alcorani facilior aperiretur aditus, & devicti populi , religione non minus ac lingua sociati , eo lubentius in obsequio manerent. Hinc sub eodem Oмаро , Arabicē loqui non modo sed & scribere didicit Egyptus. Didicit Persia sub Osmanno (2) sub Walido Hispania , India , nec non regiones aliæ. Idem Alvalid , Anno Heg. 86. Chr. 705. ipse licet sermone rudis , & Grammaticæ prorsus imperitus , quo magis Arabicæ linguæ prospiceret , Christianorum scribis , ne amplius Græce , sed Arabicē libros exararent , interdixit. Quan-

C 2 tum

hannis libenter suffragari vellet ; tamen injussu Khalifæ cum id facere non auderet , datus ad Oмарum litteris , notum ei fecit , quid dixisset Johannes , perlatæque sunt ad ipsum ab Oмарo litteræ , in quibus scripsit . Quod ad libros , quorum mentionem fecisti : si in illis contineatur , quod cum libro DEI conveniat , in libro DEI (est) quod sufficiat absque illo ; quod si in illis fuerit ! quod libro DEI repugnet , neutiquam est eo nobis opus , Jube igitur , e medio tolli . Jussit ergo Amrus Ebno l'As dispergi eos per balnea Alexandriæ , atque illis calefaciendis comburi . Ita spatio semestri consumti sunt . Audi , quod factum fuerit & mirare ut loquitur Abulfaragias in Historia Dynastiarum .

(1) L. c. p. m. 112. (2) p. m. 181.

(b) Arabi cuidam , ad Validum ingresso , qui affinitatis necessitudinem prætexeret , illum dixisse ferunt ; *Manchatanac* , (quod sonat , quis te circumcidit) ? Quo respondente , Medicus nescio quis : Non hoc querit Princeps (inquit Soliman) sed *Manchatanoc* (i. e.

tum vero ipse rudiis, quoque pretio Khalifis fuerit L. Arabica, lepida historia apud Abulfaragium oculos ponit (b).

Crescente igitur in dies singulos Imperio Moslemico, & propagato magis magisque cum ipso Islamismo Arabum idiomate; ortisque insuper inter Mohammedanos circa religionem dissidiis & secessis variis, visum fuit valde proficuum, sive dilatandæ, sive conservandæ superstitioni adminiculum, si loco monetæ Græcæ, & Romanæ in posterum Arabica cuderetur, præcipua religionis capita exhibens. Id vero præstítit, imperante Abdalmelico, anno Heg. 76. Chr. 696, exercitus Khálifæ Dux & postea provinciarum Hejazi & Yamamæ præfectus, Hegiagius Ebn Yusef.

§. IX.

Sic igitur tandem ad ipsas nummorum inscriptiones, hisce jam præmissis, examinandas devolvimur. Quæ cum partim ejus sint generis, ut eodem quij tibi ficer?)? Tum Arabs, à deinceps, ac simul inquit ficerì sui nomen protulit. Hoc ergo nomine a Patre suo Abdo l' maleco reprehensus, dicente, non imperatorum Arabibus, nisi qui eorum linguam calleret, ad scitis artis Grammaticæ peritis, domi se inclusum sex menses continuit, quibus exactis imperitor quam ingressus est, exiit. Tum pater, excusatione, inquit, dignus est. L. c, p. 202.

eodem verborum tenore in nummis habeantur expressæ, partim ita sint comparatæ, ut sœpe variant: hinc ad diversa capita, vel classes res illis contentæ non incommodè revocari possunt. Hæc nimirum, vel ad Mohammedanorum Theologiam spectant, & præcipua capita fidei Moslemicæ, vel historiam ac chronologiam imperii Saracenicæ, vel denique Geographiam orientalem earum regionum, ubi sedem habuere aut imperarunt Khalifæ, concernunt. De singulis nonnulla commentari, in sequentibus animus est, idque ita, ut primum circa ea, quæ dogmata religionis Mohammedanæ complectuntur & innuunt, nostra versetur opera. Nummi superioris in tabula ad calcem dissertationis annexa, facies adversa hanc ad marginem habet inscriptionem *Bismillahi ar-Rahmani ar-Rahim*, bismisk &c. i. e. In nomine DEI, cuius est hæc drachma Damasci, anno 79. Nostræ considerationi heic tantummodo se offerunt prima illa verba; IN NOMINE DEI. Hæc enim desumpta sunt e tritissima illa Mohammedanorum formula, *Bismillahirrahmanirrahimi*. i. e. In nomine DEI misericordis, misericordis, vel potius summe misericordis. Hujus autem infinita credunt esse mysteria Mohammedani, & innumeras virtutes: ita quidem, ut nullius fere operis successum felicem esse posse arbitrentur, nisi hac præmissa sententia sit inchoatum. Unde in lis brorum initii, Salomonem ut ajunt, imitati, eam adhibent, & quidvis facturi perpetuo in ore habent (a). Omnibus proinde in Alcorano Suris

C 3) hæc

(a) Conf. Erpen, ad Hist. Josephi.

hæc præfigitur, excepta nona, idque propterea, ut fabulatur Gelaloddinus, quod *Elbismillabi* securitatem importet, cum hæc Sura contra ad tollendam gladio securitatem sit demissa. Reliqua de novendecim hujus sententiæ characteribus deliria, ut & de eorum efficacia ad liberandum a novendecim angelis præfectis Gehennæ, auctoribus suis nos remittimus, ad cetera properantes, quæ in inscriptione hac notari merentur. Ubi tamen missis reliquis, suo deinceps loco tangendis, quid voce *Dirhem* intelligatur, verbo sumus dicturi. *Dirhem*, *Dirhim* vel *Dirhām*, Arabibus, a Persico Direm, ut vult Golius, nummum notat in genere, & peculiariter numisma argenteum, qualia XX, subinde XXV, valebant aureum unum, Arahibus *Dinār* dictum: cuiusmodi nummus Christianorum singulis aliisque in ditione Mosiémorum degentibus, & ab iis in negotio religiosi dissidentibus, si secure & in pace, suis fruievellent, tributi loco quotannis solvendus imponebatur, quod & hodienum obtinere notissimum est. Licet enim pro lubitu principis augeri & minui soleat tributum: attamen nunquam minus esse pretio nummi istius aurei, qui 72 Grana hordeacea, pondere æquat, auctor nobis est Relandus, de jure militari Mohammedanorum (b). *Dirhem* de cetero quoque jam obolum æneum notat: item nomen est ponderis XII *Karārith*, i. e. carationum Gieuhario & Camuso testibus apud Golium (c).

§. IX.

(b) Vol. 3 Dissert. p. m. 17(c) Lex Ar. col. 824.

§. X.

MEdiam ejusdem faciei partem occupant sequentia verba; *Lā ilāha illāhu wab-dhu Lā sacerikā Lāhu*. i. e. *Non est Deus, nisi Deus ille unicus (solus): Non est illi socius.*

Leguntur hæc, qua sensum, Suræ 2 comm. 165. ubi; *Deus vester, est Deus unus. Non est Deus, nisi ipse miserator, misericors.* Continent autem religionis Moslemicæ, & doctrinæ ab impostore Mohammedo disseminatæ, dogma primum & præcipuum, atque proinde vel milles in Corano repetitum & inculcatum. Hoc, utpote specioso unitatis DEi præconio, non parum superbunt Moslemi. Hoc primo, hoc ultimo loco adhibent, eoque religionis suæ deliria tegere, & excellentiam Islamismi ostendere laborant. Hinc etiam ab hoc ipso *καὶ ἐξωτερική* se-
ctam suam, nuncupatam volunt *Ettewbbid*, h. e. cultum unius & unici DEi (a). Eodem & ipse impostor, cum prima doctrinæ semina spargere vellet, in primis est usus, stupendo ut notum est, cum successu. Illo decepit incautos, & assedias e Judæis non solum, sed & e cœtu Christianorum, allexit innumeros. Illo & idololatrias, quorum Arabia circa ortum Mohammedis, magnum alebat numerum, a cultu idolorum vocavit, suosque fecit. „ Huc spectant sequentia, Elmacini verba; anno quadragesimo quar- „, to ætatis ejus, manifestavit vocationem. An-
tea

(a) Conf. Gol. L, Ar. col. 2633.

„ tea enim ad Islamismum clam tantum invitavit.
 „ Publicata autem vocatione, credere jussit homi-
 „ nes in solum DEum, eumque colere & adorare,
 „ destruxitque idolorum cultum &c. & paucis in-
 „ terjectis, atque eos, qui hæc non observabant, bel-
 „ lo vexabat & oppugnabat. Accesserunt autem ad
 „ eum Christiani tum Arabes, tum alii, eosque in
 „ fidem suam recepit, scripto illis securitatis symbo-
 „ lo. Ita & Judæi, Magi & Pagani, aliquique qui fi-
 „ delitatis ei juramentum præstiterunt &c. (b). Con-
 „ tra idololatras igitur inprimis dirigitur hoc de unita-
 „ te DEi enunciatum. „ Iis vero non caruisse patriam
 Mohammedis, tempore ignorantiae, res est notissima.
 Certe fuisse (c) Arabibus varia idola famosissima,
 Muhammed Koreischitarum impietati innutritus, ipse
 fatetur & indigitat; annon, inquit, vidistis *Allath*, & *Alo-za* & *Menath* (d)? Idem alibi plura recenset idolorum
 Arabicorum nomina, e. gr. Asaph & Naila, Vodda, Se-
 vaha, Jaguth, Jauk, Neser (e). Tacemus reliqua
 veterum Arabum numina, Tertulliano, Hesychio, Isi-
 doro, aliisque memorata (f). Quin & angelorum
 cultores fuisse Koreischitas innuit his verbis Muham-
 med. *Posuerunt DEo socios genios*, i. e. interprete Bei-
 davio, *Angelos* (g) & alibi; *Dicunt Arabes, Angelos*
esse Filios DEi. Et hæc quidem est causa, cur Moham-
 medanis idololatræ, ut & Angelorum cultores, *Almu-
 schrikun*, i. e. *associantes*, appellantur, ea propter nem-
 pe

(b) Hist. Saracen. L. I. c. I. p. 3. (c) Hotting. Hist. Ori-
 ent. p. 228. sequ. (a) Suratōl nādschm, i. e. Stellæ, c. 19.
 (e) Cor. Sur. 61. (f) Hott. l. c. 235. (g) Sur. de bestiis,

pe quod idola', angelosve ipsi associant. Horum igitur impietatem subindicant ultima hujus inscriptio-
nis verba; *Non est illi Socius.* Verum ut paganis non
sine causa hoc objevit impostor: ita Christianis ean-
dem imprudenter dicam scribit, quod mysterium S:o
S:tæ Trinitatis defendendo, parem, similemve DEo
unico adjungere, ut & eum genuisse filium afferere
non dubitent. His proinde potissimum opposita vi-
detur priori non multum dissimilis sententia, quæ in
nummo superiori, faciei aversæ partem tenet medi-
am & cuius hæc sunt verba, *Allahu abadun allahus-*
sa-medu: lem jelid, welem juläd, welem jekun ləbu Kä-
furwän abadun h. e. DEus est unus, DEus est im-
mutabilis; *non generat, neque genitus est: nec est ipfi*
quispiam par (aut similis). Absolvunt hæc ipsa in-
tegram suram in Corano ordine 112. Quæ & Elach-
lås i. e. *Sincerificatio* audit, quia in illa sinceræ fidei
& Religionis professio continetur; quemadmodum
Ettewbid i. e. unificatio, dicitur; quod unius Ma-
jestate asserta, plurium DEorum cultus in illa exclu-
datur, ita ut Personarum quoque pluralitas ab ea
rejiciatur. Hinc eam tertiaz parti Alcorani æquivalere
sentit Beidawi. Hominen vero eandem legentem cum
audiret Mohammed; Paradisum eum meruisse pro-
nunciavit, tradente Zamachschario ad h. l. Nec mi-
rum, cum ex mente Mohammedis, hæc totam de DEo
doctrinam in compendio absolvat. Quod non ob-
scure indicat Gelaluddin; Interrogatus fuit Moham-
med de Domino suo, & respondit; *Est DEus unus (b).*

D

Sic

(b) Cf. Maracc, ad Alcor. T. II. p. m. 331. 32. 32. 3

Sic quoque, qui in hanc impingit, totam de DEo doctrinam everttere eidem existimatur, quod & peccatum irremissibile judicat; certe, ait, *DEus non ignoscet, quod tribuatur illi Socius*: & *ignoscet quodlibet aliud peccatum*, quod fuerit: praeter hoc, cui voluerit (i). Tantæ proinde cum hoc de unificatione DEi dogma apud Moslemos necessitatis æstimetur: fit etiam, ut superstitionem Muhammedanam amplectentes, praeter alias ceremonias, minoris momenti, recitatione hujus formulæ, *Non est DEus, nisi DEus ille unicus* &c. sint initiandi. Quæ verba, si quem e Christianis coram Moslemo recitare contigerit; ferunt eum aut Islamismum suscipere debere, aut capite multandum esse. Putant enim, nullum, nisi cui Divinus Spiritus id concederit, eam posse pronunciare formulam. Singulis diebus eandem ex turribus rectisque præcones publici proclaimant hodienum, refricando videlicet morem Sethi, prophetarum, ut iis placet, patris, quem, cum restauraret religionem idolatria depressam, ajunt, ex turri in hunc finem extructa: exclamare solitum; *Non est DEus, nisi DEus Adami.*

§. XI.

Alterum Sectæ Mohammedanæ dogma palmarium, quoque nummos ea propter insigniri convenientissimum judicarunt ejus antistites, missionem Mohammedis, uti mentitur ipse, Divinam, revelationes conflictas & excellentiam religionis præ ceteris, concernit. Ambit inscriptio illud exhibens medium facie aversæ partem, in superiori numino, & ita sonat-

(i) Sur. 18. comm. 46.

nat, Mubámmed resulullabi, ersalábu, bilbuda vedini
 'l hakki, lijutbbirábù aladdini Kullibi, welew Kerihá
 elmuscbrikúnä. h. e. Muhammed Apostolus DEi: misit
 eum cum directione & religione veritatis, (verissima):
 ut apparere faciat eam super omnem religionem, etiam-
 si renuant associantes. Leguntur hæc plus simplici vi-
 ce in Alcorano, nimirum, Sur IX. c. 34. XLVIII.
 28 & LXI. 9. Mohammed, i. e. valde celebratus, (1)
 natione Arabs, patria Meccanus, e familia Koreischi-
 tarum oriundus, eorumque idololatriæ innutritus ad-
 dictusque antequam novam religionem parturiret:
 homo rufus utut callidus, & ad res novandas non
 ineptus, Judæis Christianisque præceptoribus usus, ex
 paganismo, Judaismo & Christianismo, Islamismum
 miserum consarcinavit centonem. Quo vero magis
 persvaderet vulgo, se a DEo missum Prophetam & ab
 eo institutum ad novum hoc doctrinæ genus spargen-
 dum, colloquia cum DEo, nec non Archangeli Ga-
 brielis secretiores apparitiones jactitavit (2). Morbi,
 quo laborabat, impetum prophetica *ixsácei* callide ex-
 cusatbat, quod ita ei successit, ut diu admodum as-
 feclis pro raptu vaticidico epilepsiam obtruserit (3). Mis-

D 2 sione

- (1) Radix Arabica Hamädä in II. Conj. valde celebravit,
 indeque formatum participium passivum, Muhammed,
ceteratissimum, notat: ita ut non sine caussa dixeris,
 pseudoprophetam nominis elegancia cessisse paucis, do-
 ctrinæ morumque pravitate vix ulli fuisse secundum.
 (2) Conf. Alcor. Sur. LI. in qua agitur de Gabrielis ap-
 paritione, it. Sur. XCIII. ubi queritur impostor, se a
 Gabriele diu non esse salutatum vid. quoque Hotting.
 Hist. Or. p. m. 400. (3) Comitiali morbo labora-

sionen igitur istam verba indigitant hujus sententiae
sequentia; *resulullabi*, Legatus DEi, & mox *erſaldhu*, misit eum, scilicet prophetam idiotam, quem ipso
judice, Pentateuchus & Evangelium annunciarunt Sur
VII. 158. Legatum manifestum, Sur XLIV. 13. Pro-
phetam, Sur V. 90. & passim: item sigillum Prophetarum.
Sur XXXIII. 39. & omnium, si ei credimus,
Prophetarum Legatorumque excellentissimum. Re-
land. de relig. Moh. L. I. p. 31. His titulis missio-
nem a DEo Mohammed ostentat, eidemque super-
struit Islamismi veritatem ac præstantiam, quam se-
quentia extollunt; *mifit eum cum directione* (4) & *re-
ligione* (5) *veritatis (verissima) at apparere faciat eam
super religionem omnem &c.* Suam religionem

heic

bat, & ex intervallis impetu illius mali prostratus, men-
te alienabatur, uti de eo testatur Zonaras annal. T.
III. p. 70. Idque præterea duo cognomina Pseudopro-
phetæ data non obscure innuunt, quibus *vestibus invi-
tutus & Storeis contectus* audit Sur VII & LXXII.
(4) Directionem Arabes *Huda* appellant, a Rad Hâda, recta
duxit bene direxit, pec. ad religionem DEus: it. secu-
tus fuit ductum ejus, recte initituit vitam, instititve
instituto. Nomen *Huda* in Alcorano frequentissimum, di-
rectionem in rectam salutis viam Mohammedi designat,
eui opponitur *Dharâlet*, error. Sur II. c. 116. Alcora-
no vero tribuit auctor, quod dirigat ad viam qua directior est. Sur. XVII. 9. (5) Vocem diu, qua heic
habetur in generaliori sua notione, qua Theologiae par-
tem & Theoreticam & Practicam complectitur, sumi in
hoc effato patet; cum alias interdum practicam tantum
denotare soleat, ita ut theoreticæ, *Ismân dictæ*, i. e. fi-
dei, contradistinguatur, etramque vero genera iori titu-

heic ut verissimam commendat Mohammed, aliisque
præfert, cum tamen alibi fateri videatur, Sabaiticam,
Judaicam itemque Christianam a DEo & tales esse;
ut in eorum qualibet homo salvari possit. Certe, ait,
illi, qui crediderunt, qui Judæi sunt, & Sabæi & Chri-
stiani: qui crediderit in DEum & diem novissimum,
& operatus fuerit recte; non erit super eos timor,
neque contristabuntur. Sur II. 59 & V. 79. Verum
illam indifferentismi notam abolere & a Mohammed
de hoc loco removere conatur Relandus, l. c. p. m.
131. seqq. & id in allatis verbis eum velle contendit,
nemini præclusam esse salutis viam, & spem veniæ
esse omnibus, modo se convertant ad religionem suam,
& sive quis Judæus, sive Christianus, sive sacris Gen-
tium addictus sit, modo credat in DEum & diem no-
vissimum, (id est, modo nomen det religioni Moham-
medicæ, quæ sola est fides in DEum; quum & Judæi
& Christiani & Zabii, ut ille opinatur, colant plu-
res DEos) & faciat bona opera, posse servari. Plu-
ribus idem persequitur laudatus auctor, & ad Sur.
III. comm. 84. provocat, ubi expresse Mohammed
pronunciat; *Qui sequutus fuerit aliam religionem quam*

D 3

Isla-

Io Islām, vel Eslām, comprehendunt plerumque, vid.
Reland, l. c. p. m. 4. in notis: ubi etiam potiora ca-
pita hujus tantopere jactatae religionis enumerantur. Sunt
vero sequentia; *primum* confessio de DEo, non esse nisi
DEum illum verum & Mohammedem ejus Legatum
alterum, stata observatio precum, *tertium* Eleemosynæ
largitio, *quartum*, jejunium mensis Ramadani, *quintum*,
peregrinatis Meccana, ab uno quoque præstanta, qui i-
ter eo suscipere poterit.

Islamismum, non erit accepta ab eo, & ipse in vita futura damnum patietur. Putat igitur, nisi peponem quis pro corde fuisse Mohammedi existimet, debuisse eum animadvertere pugnam dictorum sibi mutuo tam aperte adversantium. Videatur interim pluribus hac de re disserens Maraccius (a) Quod si vero queratur, quomodo cum veritate hujus religionis 73 sectæ Mohammedanorum queant conciliari respondet impostor, non nisi unam earum futuram, quæ salutem consequetur (b). Inter heterodoxas tamen Mohammedanorum sectas quatuor illæ non numerantur, scil. Hanifæorum, Schafæorum, Malkæorum & Hambelitarum, sed pro orthodoxis habentur omnes. Sic Persæ plerumque sunt sectæ Schafææ, Turcæ Hanifææ, licet & Persæ Turcas, & hi illos, infensissimo odio prosequantur, ob controversiam de Ali genero Mohammedis, an debuerit Mohammedi suo cedere, quod omnes Schjitatæ affirmant, i. e. Persæ & Indi quidam, uti in regno Golcondæ & ora Coromandel: Sonnitæ negant, i. e. Tatari Turcæ, Indi in imperio Mogolico, Arabes & Afri (c). Quæ vero de cetero pro religionis hujus veritate & excellentia Mohammedani jactare solent argumenta, e multis dudum excussa & refutata, videre licet apud Maraccium, in Prod. ad refut. Alcorani. Non est igitur, ut Islamismum manifestatum & demonstratum iri polliceatur super religionem omnem;

stra.

(a) Prodrom. ad refut. Alcor. P III. p. 5. seqq.

(b) Cf. Maracci in Proem. ad prod. ref. Alcor. p. m.

(c) Rel. I. c. p. 140.

quicquid renuant *associantes* (6). Nec tam demonstratio-
nibus, verum armis possumus islamismum fuisse propa-
gatum constat, concurrentibus simul aliis caussis variis,
ad inexpectatum illum, istius conaminis successum (7). Et
hæc quidem de iisquæ in nummis Ommiadum ad Theo-
logiam Mohammedanorum spectant dicta sunt. Pau-
cis & unica, e nummis Abbasidarum, ad eandem clas-
sem pertinens nobis adhuc exponenda supereft inscri-
ptio. *Lillabilamru, minKablu wemin bādu, Wejew-
meidsin jej brebu'l mūminūn, binasrillabi.* i. e. *Dei est
hoc negotium,* ante & post, & die illa lætabuntur fi-
deles in auxilio Dei. Sur XXX. c. 4. Hæc in margi-
ne partis primæ h. e. adversæ, nummi inferioris, ex-
pressa leguntur. Comparent enim in nummis hisce
recentioribus in facie adversa tres inscriptiones. Pri-
ma medium occupat locum nummi. Ambit hanc al-
tera. Utraque supra a nobis excussa. Tertia, quæ
jam præ manibus est, duæ priores cinguncur. Con-
tinent allata verba illustre & a Mohammedanis satis de-
cantatum vaticinium, ad quod provocant, ut argumen-
tum, quavis exceptione majus ad evincendum, Mo-
hammedem verum esse prophetam, Alcoranum cœ-
litus demissum, adeoque Divinæ esse originis. Hinc
&


(6) Qua voce Paganos, Christianos & Judæos intelligunt.

(7) Huc referas supinam Arabum Meccanorum ignorantiam
ac stupiditatem, dissidia Christianorum, depravatos eo-
rum temporum mores, omnium sectarum & dogmatum in
Islamismo miscelam, Nestorianorum & Monophysitarum,
a Græcis variis modis oppressorum, auxilia Arabibus la-
ta, in variarum provinciarum occupatione &c.

Hinc & illud aptum judicarunt Khalifæ, quo ornarentur nummi, quoque confirmarentur in fide Moslemi, reliqui de veritate Islamismi convicti, novam doctrinam ultro amplectentur. Res, de qua heic agitur, ita habet. Persæ magnam Victoriæ adversus Græcos erant coniecuti. Cujus cum ad Meccenses idololatras, perlata esset fama; hi Mohammedi insultare cœperunt. Persarum etenim adversus Christianos res feliciter gestæ, existimabantur etiam Arabum Meccensium, adversus Mohammedem ejusque sequaces lætiorem successum portendere. Quo vero spem hac de caussa conceptam, vanam esse intelligerent Meccani, hoc vaticinio fuit prædictum, brevissimum Græcos contra Persas præclaram victoriæ reportatueros. Hinc initio hujus Surae hæc leguntur. Vici sunt Græci a Persis, in vicinissimo terræ. Et ipsi Græci, postquam vici sunt, vincent Persas, intra decem annos (vel intra paucos annos). Mox sequuntur nostræ inscriptionis verba, *Dei est hoc negotium &c.* Cujus prophetæ implementum, urgere non intermittunt Moslemi; licet de tempore, loco, aliisque circumstantiis interpretes maxime scindantur in partes. A veritate minus ceteris fortassis absunt, qui de Khosroe Parviz Persarum rege & Heraclio imperatore expoundunt supra allata verba. Ille primum a. Chr. 615. Syria capta, Palæstinam & Hierosolymam occupavit, & postea vicitricia arma ulterius protulit, ipsamque imperii metropolis obfitione cinxit. Verum an. Christi 625. decimo a capta Hierosolyma, cum nihil minus sperare liceret, mutata scena, insigni Victoria contra Persas parta, Græci hostes intra proprios limites repulso ad iunctas redegerunt, ipsamque urbem Madayen diripuerunt, cf. Aleman. Bibl. Or. T. 3. part. I. p. 411. seqq. Boulain, *vie de Mahomè*, p. m. 333. &c. Quicquid vero sit, de hoc effato, id certum est, quæ prædixerat futura Pseudoprophetæ, conjecturæ potius quam vaticinii titulum mereri, adeoque nullius plane esse ponderis, quod inde pro dono Mohammedis verè prophetico ducitur argumentum, vide Maracium ad h. I. p. m. 541. & 542, item Prod. P. 2. C. 5. p. 22. it. Georgii Sale Angl. Comment. ad Vers. Alcorani, h. c.

§. XII.

(8) Ita ad h. I. Zamachischeri; Hic autem versus est exillis qui clare & evidenter probant, veritatem Prophetæ Mohammedis, & Alcoranum traditum fuisse a DEo, cum prædicantur hic occulta, quæ nullus alius scire poterat, nisi DEus.



I.H.S. sculp:

